



**O**Tgerus in monasterio Hornbach educatus  
 in uirum doctissimum euasit. Itaq; cū Got-  
 fridus præsul Spirensis obiisset, Otgerus in eius lo-  
 cum uicesimus Episcopus electus est. Huic enim  
 eruditioni morum integritatem, & in rebus agen-  
 dis promptitudinem adiecit. hinc factum ut Otto  
 ni. Cæsari gratissimus foret, ita ut sæpius in rebus  
 grauissimis eius opera uteretur. Vnde cum Otto in  
 Italiam proficisceretur, hunc Episcopum secū sum-  
 psit, atq; inde discedens eum ibidem reliquit, ut in  
 pontificum cōtrouersia suo nomine omnia dispo-  
 neret. Cū itaq; Ioannes 12. multa libidine cōspurca-  
 tus Petri cathedrā uī ascendisset, Otgerus synodo  
 habita Leonem octauum pontificem fecit, atq; Ioannē deposuit. Verūm Io-  
 annes sua factione potētior existens Otgerū cepit, & in carcerē inclusit. Id cū  
 Otto intellexisset, instructo exercitu Romā tendit. Interim Ioannes in adulte-  
 rio deprehensus occisus, atq; in eius locum Benedictus 5. electus fuerat.